

qui aduersus lumini (97) est, claritatis exsors, te- nebris involutus, nocti similior quam diei. Venatoris quoque usus in silvis, inter feras ac bestias converstiao ejus. Irrationabilis ergo miscetur irrationalibus passionibus : et ea quæ sunt malitiæ agrestis atque præduræ venator hujusmodi explo-

(97) Edit. omnes, et cod. Vat. ac Torn., *adversus lumen*, Melius mss. Corb., Colb., Long. et Maz., *adversus lumini*, id est contrarius.

A rare consuevit, atque his potiri atque delectari. Denique Nembrothhujus principium regni Babylon, hoc est *confusio*; eo quod malitia et potestas non in simplicitate et puritate, non in distinctione virtutis, sed in confusione vitiorum est.

FRAGMENTUM LIBRI DE ARCA NOE.

(*Citat hoc fragmentum Augustinus duobus locis, nimirum l. II contra Jul., c. 2, et l. IV contra duas epist. Pelag., cap. 11. Hæc autem verba pertinere putamus ad finem capituli tertii: ut utriusque collatione quivis colligat.*)

Veluti est illud in libro quem de Arca Noe conscripsit beatus Ambrosius: Per unum, inquit, Dominum Jesum salus ventura nationibus declaratur, qui solus potuit justus esse, cum generatio omnis erraret, nisi natus ex Virgine generationis obnoxiae privilegio minime teneretur. Ecce, inquit, in iniuriatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea (Psal. L, 7), dicit is qui justus præ cæteris

B putabatur. Quem igitur jam justum dixerim, nisi horum liberum vinculum, quem naturæ communis vincula non teneant. Omnes sub peccato ab Adam, in omnes regnabat mors. Veniat solus justus in conspectu Dei, de quo jam non cum exceptione dicatur: Non peccavit in labiis suis, sed peccatum non fecit. *Huic dic si audes*, etc.

279 IN LIBROS DE ABRAHAM ADMONITIO.

Totum operis hujus argumentum tametsi prima ipsa ejusdem verba satis aperte complecti videantur, tamen cum non omnino suis careant difficultatibus, lectori minime ingratum nos credidimus esse facturos, si eas ad majorem lectionis facilitatem hic enodare ac evolvere conaremur.

De titulo quidem ita legis (lib. I, cap. 1), *Abraham libri hujus titulus est*. Quibus e vocibus gemina potest nasci dubitatio. Primum enim cur Ambrosius, *libri hujus*, dixit, *non librorum?* Dividitur certe commentatio hæc in duos libros; et divisionem aliquam necessariam esse tum magnum illud utriusque discrimen clare loquitur, tum sanctus ipse auctor, qui primis eorumdem librorum capitibus lucubrationem suam se partitum, atque adeo id sibi jam ab initio primi fuisse propositum satis declarat. Quapropter nobis persuaderetur haud invitis illud operis libro uno ab Ambrosio comprehensum, partibus vero duabus: at illas secutis temporibus librorum vocabulo ab iis qui summopere easdem inter se discrepare animadverterunt, fuisse inscriptas. Etenim liber primus a Jona Aurelianensem episcopo, qui sub Carolo Calvo imperatore floruit, in lib. II *De Institut laicali* haud semel nominatur (cap. 2, 4, 5, 23). et apud Hugonem de Sancto Victore citatus reperitur liber secundus (lib. II *De claustr. anim.* cap. 8). Alteram autem circa titulum difficultatem movet quod Gratianus (23, q. 5, c. *Dicat*, et 32, q. 2 et 4, etc.), ac B. Thomas (2-2, q. 66, a. 8, a. 4; ibid., q. 154, a. 6 et alibi) aliisque nonnulli quæ testimonia ex hoc tractatu depromunt, ea in libro *De patriarchis* extare dicunt. Sed a fide neutiquam abhorret auctores illos in excerptis ac libris suis SS. Patrum opera eo titulo qui tunc temporis usitator erat, laudare solitos. Quamobrem diu antea hanc memorato operi factam inscriptionem jure dixeris. Et forte non alias huic rei locum dederit, quam Cassiodorus. Cum enim ita loquitur: *Item sanctus Ambrosius De patriarchis septem libros edidit, qui multa loca Veteris Testimenti factis quæstionibus suaviter enodavit* (*De Instit. div. lect.* cap. 1), dubium non est quin inter alios libros *De patriarchis* tractatum quoque de Abraham complexus fuerit. Nec illud cuiquam absurdum videri debet, quando revera sanctus doctor de præcipuis patriarchis commentationes elucubraverit, quas ipsem et initio libri *De Joseph* recenset, atque inter se comparat. Ut ut sit, dubitare potest nemo huic ipsi de quo loquimur, operi titulum *De Abraham* inditum ab Ambrosio fuisse, cuius etiam rei ratio hæc ab ipso redditur: *Quoniam*, inquit, *per ordinem hujus quoque patriarchæ gesta considerare animum subiit*. Quibus sane verbis operis summa quasi oculis subjicitur. Quocirca illud non alio, quam de Abraham in mss. inscriptum titulo reperire est.

Profitetur quoque sanctus antistes sese ut isti commentationi stylum admoveret, divina auctoritate fuisse inductum (l. I, c. 4) *Cum Dominus Deus noster*, inquit, *hunc locupleti benedictionis suæ dote dona-*